Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1649
Quelle:
Copyright:

et ex aliquibus similitudinibus methaphoricis, que, etsi aliqualiter oblectant animum, paucis tamen aut nullis quietant certitudinibus intellectum &c. Prologus ita finit: *Erunt igitur in isto tractatu 4. partes principales, quarum prima erit de laudibus studii parisiensis. 2ª de quibusdam ceteris parisiensibus eminenciis. 3ª de inconvenientibus illius* (adversarii) *dictatoris. 4ª de vtilitate Siluanecti.* Quatuor I. Partis Capitulis agitur: *Primo quantum ad facultatem Phylosophie seu artium. De Preconiis theologorum. De facultate doctorum et decretalium. De laude medicorum.* Decem II. Partis Capitulis agitur: *De ecclesiis precipue de ecclesia beate marie et de capella regis. De palacio regis, in quo est aliquid de magistris parlamenti et requestarum et de notariis. De aulis* (des Halles) *campellorum* (aux Champeaux) *et de aliis domibus paris. De artificibus manualibus. De conditionibus populi paris. quo ad mores animarum et accidentia corporum. De fluuio paris. vocato nomine proprio secana. De cibarijs seu victualibus. De situ parisius et tocius gallie in quo est quoddam correlarium de regibus francie. Per modum epylogi sentenciaria exclamatio pro parisius civitate inclita. De rege francie et eius modus scribendi celsitudinem regie maiestatis.* III. Partis Capitulis oppugnantur quatuor Adversarii Inconvenientia, quae juxta Nostrum partim adulationis, partim exaggerationis vitio admisit. IV. Partis Capitulo unico *Silvanecti* Encomium. En ex antiquissimis *Lutetiae* Descriptionibus curiosam sane et rarissimam. Audi vero Clausulam: *Explicit tractatus de laudibus Vrbis Vrbium parisius cuius una pars est de Vtilitatibus Siluanecti propinquitatis ad ipsam parisius confluio gratulantis scriptus complete anno verbi incarnati 1323. quarto die nouembris per Johannem de Genduno.* Censeo ipsam Viri hujus τȣ *Marsilii Menandrini* in concinnando *Defensore Pacis* συνεργȣ manum, quem diu Doctorem *Perusinum* pro *Parisino*, et *Gandavensem* dixere, donec *Oudinus* ejus locum natalem Pagum *Jandunum* inter *Rethelium* et *Maceriam* (Mazieres) urbes *Campaniae* situm indicaret, quem vide T. III. *col.* 883. Opera Nostri philosophica jam olim typis commissa probe norunt Literatores; *Parisiorum* vero Encomiasten qui proderet, nemo mihi compertus. Interim, quod instituti mei non est, Tractatus hic integer transscribi mereretur.

XXIV. *fol.* 209. *Recommendatio*, ut e calce adsumo, *ciuitatis parisiensis.* Opportune hic addita; est enim illa, contra quam *Joh. de Janduno* praecedenti Tractatu calamum strinxit. Init vero: *Circuivi terrarum climata cuncta perambulans a finibus lustrans sollerter et inquirens quis ex locis habitabilibus in splendore et amenitate sui gradus comparationis excedens tanta polleret preeminencia, vt locorum ceterorum genus superlativum precelleret* &c. Invenies in ea *quatuor* illa *Inconvenientia*, quae car-